



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**  
**Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Casus V. Argumentum. Episcopus tradens fundum suæ Ecclesiæ pro  
ædificando ibi Monasterio, an acquirat in illo Juspatronatus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

acquirere Juspatronatus in Ecclesia ratione Fundi juxta Textum in supradictis duobus Capitibus, nisi transferam dominium tam utile, quam directum Fundi in Ecclesiam; non possum autem transferre dominium Fundi in Ecclesiam meo inscio *leg. Id, quod nostrum est cum similibus ff. de Reg. jur.* Bene verum est, quod si postquam sciverim esse ædificatam Ecclesiam in Fundo meo, Ego ero contentus transferre dominium Fundi in Ecclesiam, acquiram Juspatronatus, seu Aditum processionis in ea ratione Fundi per Textum in supradictis capitibus.

- 2 Sed fieri potest quæstio an ædificans Ecclesiam in Fundo meo, me inscio, acquirat Juspatronatus in illa ratione ædificationis; quæ resolvenda venit cum distinctione. Aut ædificans Ecclesiam illam construxit de consensu meo, postquam habui notitiam, & sic me volente, & consentiente, ac bona fide; & tunc ego ero Patronus Ecclesiæ ratione Fundi, ædificans verò ratione constructionis. Aut ædificans construxit Ecclesiam, meo dissentiente, & nolente, adeoque mala fide, & in hoc casu, ego ero Patronus non solum ratione Fundi; verum etiam ratione constructionis, quia ædificium cedit solo juxta *leg. Adeo, S. Cum in suo ff. de Acquir. rer. Domin. & ita tenent Joann. Andr. in cap. Nobis de Jurepatr. in secunda col. in verb. Acquiritur, Lambertin. de Jurepatr. lib. 1. par. 1. quest. 3. art. 12. num. 1. Amostaz. de Causis Pii lib. 5. cap. 5. num. 61. & solum potero compelli ad restituendam pecuniam ædificanti, & ad reficiendas ei expensas, ut vult idem Lambertin. ubi supra art. 19. num. 2.*

### ARGUMENTUM.

Episcopus tradens Fundum suæ Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio, an acquirat in illo Juspatronatus.

### SUMMARIUM.

- 1 *Episcopus non potest alienare res Ecclesiæ.*

- 2 *Episcopus potest tradere Fundum de Bonis propria Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio.*
- 3 *Episcopus tradens Fundum de Bonis Ecclesiasticis acquirat Juspatronatus ratione Fundi non sibi, nec suis heredibus, sed ipsi Ecclesiæ sed intellige, ut ibi.*
- 4 *Episcopus ædificans, & dotans Ecclesiam de Bonis propria Ecclesiæ non acquirat in ea Juspatronatus sibi, aut suis heredibus, secus si etiam dotaverit, & ædificaverit de Bonis patrimonialibus.*
- 5 *Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio, præsumitur constructa, & dotata de Bonis patrimonialibus, si constat Episcopum aliquid habuisse de tempore promotionis, & fecerit Inventarium; secus si de hoc non constet, aut dubitetur, sed limita, ut num. 6. & 7.*

### C A S U S V.

**Q**uidam Episcopus dedit Fundum de Bonis propria Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio; quæritur primò, an possit Episcopus dare hujusmodi Fundum. Secundò; an ratione Fundi acquirat Juspatronatus, seu Aditum processionis in illo Monasterio?

- In ordine ad primum dubium videtur, quòd Episcopus non possit dare Fundum propria Ecclesiæ pro ædificando ibi Monasterio, quia Episcopus non potest alienare res suæ Ecclesiæ, *cap. Quisquis Episcopus, cap. Non liceat 12. quest. 2.*
- 2 Contrarium tamen verius de Jure est, quia cum Fundus pro ædificando Monasterium sit res exigua, & modici valoris, alienari potest ab Episcopo absque solemnitatibus, & auctoritate Papæ: Præsertim urgente aliqua necessitate, & si id fieri possit absque maxima læsione ejusdem Ecclesiæ juxta *Text. in cap. Terrulas 12. quest. 2. ibique Archidiacon. Turricell. de rebus Eccles. non alienan. cap. 15. num. 51. Rota decis. 401. num. 3. coram Serafin. cui Canoni Terrulas non fuit derogatum, nec per Extravag. ambitiosa de rebus Eccles. non alien. nec per Conc. Trident. ut testatur Rota decis. 444. num.*

num. 50. par. 4. tom. 2. recent. Quod magis procederet si ille Fundus non solum esset exigui valoris, sed etiam esset res inutilis, sterilis, incerta, aut longè distans *Rota decis. 624. num. 11. par. prima recent. & decis. 664. num. 1. par. 1. divers. & decis. 210. num. 1. coram Ottobon.*

- 3 Quoad secundum dico Episcopum acquirere Iuspatronatus ratione Fundi non sibi, nec suis hæredibus, sed ipsi Ecclesie, quia hujus erat Fundus argumento *Textus in supradictis duobus capitibus, & Text. in cap. Apostolic. 12. quest. 2. juncta ibi Gloss. in verb. construxisse.* Quod tamen intelligitur, si Episcopus assignet totum Fundum necessarium pro constructione Monasterii, nam si præberet tantum unam Cannam Terreni, pro ampliori ejus fabrica Jus honorificentie non acquireret, quia cum una Canna Terreni sit parvi valoris, diceretur potius Benefactor, quam fundi Dator, *Rota decis. 311. num. 2. par. 2. recen. & decis. 106. num. 12. coram Coccin.*

Sed quid si Episcopus in Fundo propriæ Ecclesie ædificaret Ecclesiam, illamque dotaret, an acquireret in illa Juspatronatus sibi, & suis hæredibus ratione constructionis, & dotationis?

- 4 Respondeo cum distinctione. Aut Bona, de quibus ædificata, & dotata est Ecclesia sunt propriæ Ecclesie, & tunc Episcopus non sibi, nec suis hæredibus, sed Ecclesie suæ acquirit Iuspatronatus, *Textus in cap. Apostol. 12. quest. 2. juncta ibi Gloss. & in cap. Nobis de Jurepatr. de quo infra. Lambertin. de Jurepatr. quest. 3. art. 18. num. 1. & art. 7. quest. 8. num. 1. par. 1. lib. 1. Vivian. de Jurepatr. lib. 2. cap. 7. num. 50. & lib. 15. cap. 1. num. 17. & in Urbanien. Canonicatus 14. Januarii 1695. in fin. principii, & sub S. Minusque coram R. P. D. Muto.* Aut supradicta Bona, de quibus ædificata est Ecclesia, sunt ipsius Episcopi, & de proprio ejus Patrimonio, & in hoc Casu Episcopus acquireret sibi, & suis hæredibus ratione constructionis, & dotationis, non verò ratione foundationis, quia Fundus, ubi Ecclesia fuit constructa non est de Patrimonio Episcopi, sed Ecclesie; sed ratione foundationis in hoc Casu Iuspatronatus esset ejusdem Ecclesie, quæ unà cum di-

ctis hæredibus poterit præsentare ejus Rectorem juxta *Textum in dicto cap. Nobis, Rota decis. 487. num. 2. par. 4. tom. 1. recent.*

An autem, & quando Ecclesia constructa, & dotata nomine proprio ab Episcopo præsumatur fuisse constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus illius, aut potius de Bonis Ecclesie? Distinguendi sunt tres Casus; Aut constat Episcopum aliquid habuisse tempore suæ promotionis; Aut constat, quod nihil habebat; Aut dubitatur.

- 5 Si constat Episcopum aliquid habuisse de tempore Promotionis, & ipse fecit Inventarium; Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio præsumitur constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus; & Ecclesie incumbit onus probandi, quod de ejus redditibus fuerit constructa, & dotata. Si verò constat Episcopum tempore Promotionis aliquid habuisse, & non fecit Inventarium, tunc præsumitur fuisse dotata, & constructa de Bonis Ecclesie; quia Episcopus fuit in culpa in non conficiendo Inventarium, & utendo promiscuè rebus propriis, & Ecclesie.

In secundo Casu scilicet si constat, quod nihil habebat, tunc Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo nomine proprio præsumitur constructa, & dotata de Bonis ejusdem Ecclesie; Quia Ecclesia habet fundatam intentionem de Jure communi super omnibus Bonis possessis à Prælato Defuncto. Unde omnia præsumuntur esse Ecclesie, nisi probentur ex adverso esse Patrimonialia.

Tertio Casu cum dubitatur, præsumitur idem pro Ecclesia juxta auream distinctionem *Ioann. Andr. in cap. Ut unus de Pecul. Cleric. ibique Abb. num. 3. & in cap. 1. de Testament. in 4. notabili*, quos sequuntur *Bero. conf. 7. num. 1. & 4. tom. 2. Mascard. de Probat. concl. 202, num. 1. & seqq. & concl. 203. num. 1. Rota decis. 1015. num. 6. coram Pæn.*

- 6 Limitarem tamen primum Casum, in casu quo redditus Ecclesie Episcopalis non excederent sumptus proprios Episcopi, tunc enim Ecclesia constructa, & dotata ab Episcopo præsumeretur sic constructa, & dotata de Bonis Patrimonialibus ipsius, etiam

etiam si non fecerit Inventarium ; Ratio est, quia quando redditus Beneficii non excedunt sumptus proprios Beneficiati, isti redditus præsumuntur expensi, & consumpti in alimenta, & alias impensas necessarias pro usu familiarium, & servorum suorum ; eâ ratione quia Altari inserviens de Altari vivere debet. *Baldus conf. 313. num. 4. tom. 2. Bero. conf. 7. num. 2. tom. 2. Rota decis. 280. num. 9. coram Roxas, & decis. 65. num. 5. coram Cels. & decis. 1015. num. 6. coram Pæn.* Sed si Patrimonium esset tenue, & redditus Ecclesie excedentes, itaut excessus reddituum esset sufficiens pro construenda Ecclesia tunc si Episcopus non fecerit Inventarium, crederem præsumendum pro Ecclesia.

7 Idem dicerem in Casu, quo post Promotionem Episcopi fuissent ei relicta aliqua Bona intuitu Personæ ; vel ad eum perventa de hereditate alicujus, & post acquisitionem istorum Bonorum fuisset ab eo constructa, & dotata Ecclesia ; In hoc enim Casu, si redditus Episcopatus non excederent proprios sumptus, præsumeretur dicta Ecclesia constructa, & dotata de Bonis perventis Episcopo post ejus Promotionem ; & sic sibi, suisque hæredibus in præfata Ecclesia Juspatronatus acquireret ; dum Bona, quæ intuitu Personæ, vel de hereditate alicujus perveniunt ad Clericos, transeunt ad Consanguineos eorum ab intestato, vel ex testamento secundum dispositionem Clericorum, ut in cap. 1. & in cap. Cùm in Officiis de Testament. *Bald. conf. 313. num. 1. tom. 2.*

